Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8308
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ego sum uitis uera
et pater meus agricola est. Omne palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. et omne qui fert fructum purgabit eum ut fructum plus afferat. Jam uos mundi estis propter sermonem quem locutus sum uobis. Manete in me et ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in uite sic nec uos nisi in me manseritis. Ego sum uitis uos palmites. Qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum. quia sine me nichil potestis facere. Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes et arescet. et colligent eum et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me et uerba mea in uobis manserint. quecumque uolueritis petetis et fiet uobis. Offertorium. Gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum domine